

velit. Quòd in illa ipsa solutum, præcipitatum-
que aurum, nullam vim sclopetandi habere de-
prehendatur.

Sed redeamus ad priorem calcinationem, fa-
ctam in aqua Regia vulgari, & circa ejus histo-
riam quæramus.

Primò, Num illa calcinatio accurato Chymia-
tro, sit admittenda, & non potius damnanda, &
execranda, utpote quæ per aquam tam corrosi-
vam, & humanæ naturæ infestam, institua-
tur?

Secundò, an possit solvi sine sale Armonia-
co?

Tertiò, quænam subsit causa, quare calx auri
vim inflammabilem & sclopetantem acquirat?

Quartò, num eadem illa calx intra corpus ex-
hibita, vim habeat diaphoreticam?

Quintò, quomodo eadem cum sulphure igni
exposita, non conflagret, & cum strepitu dispe-
reat?

Ad singula quæsitæ breviter respondebo, &
quidem ad primum: Chymiatros (cum iis enim
mihi res est) non magis vel posse vel debere da-
mnare istiusmodi calcinationem, quam damnent
mercurium Diaphoreticum ipsum, quem autor
Basilicæ chymicæ Osvaldus Crollius antimonium
Diaphoreticum, ineptè nuncupat, ut qui minimè
gentium ex antimonio, sed mercurio constante
manifesta reductione demonstratur: Illud inquam
♀ Diaphoreticum, quum partim ex spuma illa
venenosa (quam butyrum antimonii vulgò, ego
rectius mercurii, vocant) partim ex spiritu nitri,